

sia, monasterio, praelaturæ, causæ, etc.) in consequentiam vero personis, quæ talem rem, locum, officium, vel causam habent. Privilegium personale est, quod proxime et directe confertur personæ sine contemplatione rei arg. c. *Mandata de Præsumpt.* ibi: « Quas non loco tribuimus, sed personæ, » etc. et alibi.

13. *Differentia inter utrumque.* — Differunt autem plurimum: siquidem privilegium reale cum cohæreat rei, transit ad quoscunque successores, et possessores: « Privilegium autem personale personam sequitur, et extinguitur cum persona, » ut loquitur *Reg. 7, Jur. in 6.* Concordat l. *Privilegia*, ff. de *Reg. jur.* ibi: « Privilegia quædam causæ sunt, quædam personæ: et ideo quædam ad hæredes transmittuntur, quæ causæ sunt; quæ personæ sunt ad hæredem non transeunt. » Adde l. *In omnibus*, ff. eod. ubi dicitur: « In omnibus causis id observatur, ut ubi personæ conditio locum facit beneficio, ibi deficiente ea beneficium quoque deficiat. » Et huiusmodi privilegium dicitur privilegium singulariter personale, eo quod uni tantum personæ per se et directe concedatur.

14. *Aliud mixtum.* — Datur etiam privilegium mixtum, hoc est, partim personale, partim reale, eo quod multum de natura realium participat. Talia privilegia sunt, quæ conceduntur certo corpori aut collegio personarum (et ideo a quibusdam privilegia corporalia nuncupantur) atque hæc non tantum illis competunt, qui de facto in tali corpore vel collegio vivunt, sed etiam transmittuntur ad eorum successores.

15. *Aliud certo personarum generi concessum.* — Huc spectant privilegia, quæ dicuntur communiter personalia, et certo personarum generi conceduntur. Tale imprimis est privilegium restitutionis in integrum concessum minoribus (id est, illis, qui ante 25 annum completum in aliquo contractu graviter læsi sunt) quod etiam ad hæredes transit, l. *Non solum*, ff. de *Restit. in integr.* Tale est etiam privilegium S. C. Vellejani concessum feminis, ne ex fidejussione obligentur. Item privilegium esse Macedoniani concessum filiisfamilias, ne ex mutuo sine consensu patris accepto obligentur. Adde privilegia clericorum, studiosorum, militum, et huiusmodi.

16. *In dubio an privilegium personale, aut reale sit, quid juris?* — Cæterum in dubio,

an privilegium aliquod sit mere personale, vel reale, ex materia, causa, et tenore illius colligendum est. Quod si exinde satis cognosci non potest, videre oportet, an privilegium huiusmodi sit merum beneficium et gratia, nec juri communi, nec privato contrarium vel odiosum; illud enim, seu mere beneficium, in dubio præsumitur reale, utpote quod tanquam beneficium principis permanere oportet, c. *Decet*, 16, de *Reg. jur.* in 6, et l. fin. ff. de *Constitut. princip.* Istud vero, seu odiosum, utpote a jure exorbitans, personale, et consequenter cum persona extingui censetur arg. c. *Quæ a jure*, 28, de *Reg. jur.* in 6.; Donatus, tom. I, p. 1, tr. IV, q. 3, n. 2; Suarez, lib. VIII, de *Legib.* cap. III, n. 48; Palao, tr. III, disp. 4, puo. 2, § 1, n. 6.

17. *Rursus aliud privilegium est mere gratiosum, aliud remuneratorium.* — Quarto, privilegia alia sunt mere gratiosa, alia remuneratoria. Ex his privilegia mere gratiosa, seu quæ ex mera concedentis gratia, non intuitu meritorum, seu in illorum compensationem proficiscuntur, habent tacitam conditionem, ut tandiu durent, quandiu principi, vel ejus successoribus placuerit. Privilegia vero remuneratoria sunt, quæ intuitu meritorum, v. g. laborum, molestiarum, fidelitatis, expensarum, etc. in bello, in conversione infidelium, hæreticorum, rebellium, schismatis, etc. exhibitorum, aut exantlatorum, tanquam in præmium, et quamdam remunerationem, seu compensationem dantur: quæ privilegia remuneratoria etsi in dubio censeantur personalia, arg. l. 1, ff. de *Constitut. princip.* ibi: « Quæ princeps alicui ob merita indulset, personam non egrediuntur; » tamen etiam realia esse possunt, adeo ut propter merita personæ unius privilegium toti alicui familiæ, religioni, provinciæ concedi valeant, et nonnunquam soleat teste experientia.

18. *Aliud perpetuum, aliud temporale.* — Quinto, privilegium aliud est perpetuum, aliud temporale. Perpetuum est, quod vel adhæret rei de se perpetuæ; vel conceditur absque limitatione temporis. Et dicitur perpetuum, non quod amitti non possit, sed quia de se durat, donec revocetur, aut alia de causa amittatur. Privilegium temporale est, quod concessum est pro determinato tempore, v. g. ad decennium, vel ad dies vitæ personæ privilegiatæ, ut est privilegium singulariter personale. Huc spectat

privilegium datum sub conditione, quæ lapsu temporis finitur: item privilegium concessum a principe, donec decesserit, vel sub clausa, usque ad beneplacitum meum; nam tale expirat morte concedentis, utpote qua omnino extinguitur ejus beneplacitum, c. *Si gratiose de Rescriptis*, in 6. Secus est, si gratia vel privilegium concedatur sub clausula, usque ad Apostolicæ Sedis beneplacitum: tunc enim, quia Sedes non moritur, durabit perpetuo, nisi a successore revocetur, prout loc. cit. expresse subjungitur.

19. *Quid sit privilegium purum et conventionale?* — Sexto, privilegium aliud est purum, aliud conventionale. Illud est, quod sine aliqua conventionione, et reciproca obligatione conceditur. Istud vero, quod interveniente huiusmodi conventionione, et obligatione ad aliquod dandum aut faciendum, etc., sicque quodammodo emi, aut per contractum onerosum acquiri censetur, Suarez, loc. cit. q. 4, n. 9; Palao, loc. cit. § 3, n. 2.

20. *Per se, et ad instar concessum.* — Septimo, privilegium aliud est cuiusdam per se primo specialiter concessum, aliud concessum ad instar. Illud est, quod cuiusdam conceditur sine ordine ac respectu privilegii prius alteri concessi. Istud vero, quod conceditur ad instar privilegii prius alteri concessi, id est, eo modo ac forma, sub qua illud alteri convenit: qualia privilegia ad instar plura conveniunt regularibus communicationem privilegiorum habentibus, de qua fusius § 3.

21. *Communitatis et privatorum.* — Octavo, privilegium aliud est commune, seu communitatis, aliud privatum, seu privatorum. Illud est, quod primario et per se respicit bonum communitatis, cui concessum est, etsi etiam redundet in membra ejus. Cujusmodi sunt privilegia fori et canonis, v. g. toti statui clericali concessa. Privatum, seu singulare est, quod primario ac per se respicit bonum personarum in particulari, etsi mediate etiam redundet in bonum commune. Huiusmodi privilegium est, v. g. beneficium restitutionis in integrum minoribus concessum.

22. *Privilegio communitatis privatus renuntiare nequit: bene vero privilegio privatorum.* — Differt autem istud privilegium ab illo, quod privilegio communi, seu communitatis, tanquam favori communi et publico,

privatus nequeat renuntiare, arg. c. *Si diligenti*, 12, de *Foro competent.* et l. *Jus publicum*, 38, ff. de *Actis*; consequenter clericum etiam consentientem percutiens incurrat excommunicationem, can. *Si quis suadente*, cau. 17, q. 4. Privato autem renuntiare regulariter quis possit, c. *Si de terra*, 6, h. t. ibi: « Cum liberum sit unicuique suo juri renuntiare, » cum Concor-dantiis, nisi talis renuntiatio cederet in præjudicium tertii.

23. *Privilegium proprio motu, et ad preces concessum?* — Nono, Aliud privilegium est motu proprio; aliud ad preces, seu supplicationem privilegiati concessum. Illud est, et dicitur, quando diploma privilegii habet insertam clausulam motu proprio, etiamsi forsitan ad præviam supplicationem sit concessum, c. *Si motu*, 23, de *Præbend.* in 6. Istud 6, vero est, quando litteræ privilegii talem clausulam non habent. Cæterum qualis sit differentia inter hæc privilegia, et quid operetur clausula motu proprio, vide lib. I, tit. III, a n. 202.

24. *Privilegium vivæ vocis oraculo, et litteris concessum, quid?* — Decimo tandem, privilegium aliud est vivæ vocis oraculo, aliud litteris, vel rescripto principis concessum. Illud est quod princeps ore tenus duntaxat, sine scriptura concedit, vel motu proprio, vel ad instantiam partis. Istud vero, quod in scriptis datur. Clem. 2, § *Ac deinde*, 7, *Nos etenim, de Sepult.* ibi: « Universa privilegia verbo aut scripto concessa. » Cæterum privilegia vivæ vocis oraculo plura olim concessere summi Pontifices, uti videre est apud Donatum, p. 1, tom. I, tr. XV. Ubi expresse agit de vivæ vocis oraculo.

§ II.

DE CONCESSIONE, ET ACQUISITIONE PRIVILEGIORUM; UBI ETIAM DE TEMPORE QUO VALERE INCIPIUNT.

25. *Legem contra jus illi soli condere possunt, qui legem condere valeant.* — Queritur I. Quis possit concedere privilegium? Resp. Privilegium præsertim contra jus omnis et solus ille potest concedere, qui potest legem condere. Ratio est, tum quia privilegium huiusmodi est lex privata; ergo requirit in conferente potestatem quamdam legislativam; tum quia per privilegium contra jus eximitur quis ab obligatione juris, et

legis communis, quod nemo facere potest, qui legem condere non valet. Glossa communiter recepta in can. *Quod autem*, cau. 25, q. 2.

26. *Doctrina practica.* — Hinc potestates publicæ, sive ecclesiasticæ, sive sæculares, tantum in iis privilegia ab obligatione legis communis quæpiam exemptionem concedere possunt, de quibus legem seu statuta condere, seu disponere valent, v. g. Papa expeditionem suam temporalem per se ac directe potest dare privilegia tam in spiritualibus, quam in iis, quæ sunt connexa spiritualibus, ut sunt decimæ, etc. Prælati Papa inferiores possunt concedere privilegia, quæ eximunt a legibus seu statutis a se conditis, vel a suo antecessore. Similiter imperator, et alii supremi principes in temporalibus tantum privilegia dare possunt; quia laici in spiritualibus se immiscere non possunt. Can. *Bene quidem*, dist. 96.

27. *Non tantum subditis, sed etiam aliis concedi potest privilegium.* — Quæritur II. Quibus, et quo modo, quæve de causa possit concedi privilegium? Resp. I. Privilegium non solum iis, qui vere et absolute subditi sunt, sed etiam extraneis concedi potest, dummodo materia privilegii sit sub privilegiantis jurisdictione. Ita communis doctorum, et patet inductione. Sic quippe imperatores multa privilegia, partim in jure communi, partim per specialia diplomata, concesserunt ecclesiis ac personis ecclesiasticis, quamvis non sint sub jurisdictione sæcularium principum, arg. c. *Quantquam*, de *Censibus*, in 6. Sic etiam princeps alicui extraneo concedere potest privilegium, ut in suo territorio sit liber a præstandis vectigalibus, possit conscribere milites, etc.

28. *Ad cujus substantiam non requiritur scriptura.* — Resp. II. Regulariter loquendo, ad substantiam privilegii non requiritur scriptura, sed etiam oretenus sive vivæ vocis oraculo factum subsistit. Ita certa et communis doctorum arg. c. *Institutiones*, 25, q. 2, et *Extravag. Etsi dominici, de Pœnitent. et remiss.* ibi: « Considerans, quod plerumque contingit, suam sanctitatem hujusmodi facultates etiam oraculo vivæ vocis concedere, » etc. Accedit ratio, quia nullo jure requiritur scriptura ad validitatem seu substantiam privilegii; imo sufficit voluntas principis sufficienter declarata.

29. *Bene tamen ad ejus probationem.* — Hoc tamen non obstante quandoque requi-

ritur scriptura ad probationem privilegii, ejusque firmitatem, arg. c. *Porro*, h. t. ubi dicitur, inspicienda esse privilegia, ut eorum tenor servetur. Concordat c. *Contra morem*, dist. 100, ibi: « Aut mos omnium est servandus, aut si tuæ Ecclesiæ aliquid specialiter dicitur esse concessum, a vobis oportet ostendi. » Et infra: « Oportet aut generalitatis usum ex non scripto sequi, aut ex scriptis privilegii se tueri. »

30. *De stylo curiæ etiam requiritur scriptura saltem pro foro externo.* — Insuper de stylo Curie Romanæ, et juxta regulas cancellariæ apostolicæ, gratiæ ad expeditionem Litterarum dicuntur informes, et nulli suffragantur dispensationes, antequam super iis Litteræ Apostolicæ sint confectæ, non obstante, quod summus Pontifex in signatura ad libellum supplicantis per verbum: *Fiat*, gratiam concesserit. Ita enim quilibet Pontifex declarat in *Reg. 27. Cancellariæ Apostolicæ*, ibi: « Item, cum ante confectionem litterarum gratiæ Apostolicæ sint informes: statuit, quod judices quicumque non juxta supplicationum signatarum, etc. Sed juxta litterarum desuper confectarum tenores et formas debeant judicare. Et si litteræ minus expeditæ reperiuntur, et illorum, quorum interest, instantiam, ad Apostolicam Cancellariam remitti poterunt, per ejus officiales ad formas debitas reducendæ. » Hæc ibi. Et concordat *Reg. 52*, quæ inscribitur: *Nulli suffragetur dispensatio nisi litteris confectis*. Nec immerito, quia multa quandoque in supplicationibus petuntur, quæ omnia concedere non intendit Pontifex, ac proinde quænam ab ipso concessa fuerint, ex litteris desuper expeditis erit despiciendum.

31. *Num autem etiam pro interno controversia est.* — Et hæc quidem loquendo pro foro externo certa sunt, utrum autem saltem pro foro conscientie liceat uti dispensatione vel gratia ante litterarum expeditionem, variant doctores. Negant non pauci ob tenorem satis urgentem Regularum Cancellariæ proxime relatarum. Affirmativam nihilominus non improbabilem censet Engel, h. t. n. 8, post Rebuffum, Guttierrez, Laymanum, et alios: siquidem gratia quoad substantiam (licet non quoad omnes qualitates), censetur perfecta per solam signaturam, eo præsertim, quia scriptura non est de substantia privilegii, ut dictum n. 21, cum communi. Et quidem quod gratia Pa-

palis perficiatur per solam signaturam, etiam ante expeditionem Bullarum, quæ requirunt solum ad probationem, pariter fatetur Wagnereck. *ad Reg. 10. Cancellar.* et Barbosa, lib. III, *Juris ecclesiastic. univers.* cap. XIII, n. 199, citans multos alios.

32. *Sunt quedam, ad quorum valorem necessario requiritur scriptura, veluti facultas ingrediendi clausuram monialium.* — Dicitur autem notanter in conclusione n. 28, posita, regulariter loquendo, quia sunt nonnulla, quæ ex speciali dispositione juris de substantia requirunt scripturam: veluti primo, facultas ingrediendi clausuram monialium nulla est, nisi ab episcopo vel alio legitimo superiore in scriptis concedatur, concil. Trident. sess. 25, de *Regular.* cap. v, ibi: « Ingressi intra septa monasterii nemini liceat, cujuscunque generis aut conditionis, etc., sexus, vel ætatis fuerint sine episcopi, vel superioris licentia in scriptis obtenta sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, » prout amplius dictum lib. III, tit. XXXV, a n. 61.

33. *Item collatio, confirmatio, et unio beneficii.* — Secundo ad substantiam et valorem Apostolicæ collationis, confirmationis, et unionis beneficiorum requiritur scriptura, ita ut ante litterarum expeditionem beneficiatus censeatur intrusus, et fructus non faciat suos, *Extravag. Injunctæ. 1. Inter communes, de Election.*

34. *Ac facultas non residendi in beneficio curato.* — Tertio. Facultas non residendi in beneficio curato ad sui substantiam requirit scripturam vi concil. Trident. sess. 23, de *Reformat.* cap. 1.

35. *Ad hoc ut privilegium licite concedatur, requiritur justa causa.* — Resp. III. Ad concessionem privilegii, ut sit licita, requiritur justa causa; non autem ad hoc, ut sit valida. Ita Pirhing, h. t. n. 12. Prima pars patet, quia justitia distributiva et legalis requirit, ut nullus absque rationabili causa eximatur a lege communi; consequenter nec absque ea detur privilegium contra Nos. Neque præter jus; quia hujus sine causa facta concessio saperet prodigalitem, et acceptiorem personarum, induceretque improprietatem inter membra communitatis. Suarez, lib. VIII, de *Legib.* cap. XXI, n. 2. Palao, tr. III, disp. 4, pun. 5, n. 1.

36. *Non item ut valide concedatur.* — Altera vero pars ex eo suadet; quia valor privilegiorum pendet a sola voluntate conceden-

tis privilegium: nam sicut is absque ulla alia causa potest ejusmodi legem valide tollere ex toto, ita et ex parte, unam vel aliam personam per speciale privilegium ab ejus obligatione eximendo, saltem valide.

37. *Solvitur instantia.* — Nec dicas, indulgentias sine causa concessas esse invalidas, juxta fere communem doctorum: ergo etiam privilegium. Resp. enim negando consequentiam et paritatem. Disparitas est, quod Papa indulgentias concedat non tantum ut dominus, sed ut dispensator meritorum Christi, qui non censetur in horum dispensationem nisi salubrem et rationabilem. *Extravag. Unigeniti. 2. de Pœnit. et remiss.*

38. *Privilegium acquiri potest per preces.* — Quæritur III. Quibus modis acquiri valeant privilegia? Resp. Tribus præcipue, videlicet I. Ex concessione principis, idque vel sine precibus, seu supplicatione ex ultraneæ ipsius liberalitate, vel ad preces et instantiam privilegiati: ubi tamen notandum, quod per preces impetrans privilegium nihil debeat exprimere falsum; et e contra necessario exprimere ea omnia, quæ verosimiliter retrahere possent animum principis a concessione privilegii, ne sub vel obreptione obtineatur, uti post Clarum § fin. q. 59, §. *Debes advertere*, bene notat Donatus Par. 1, tom. I, tract. VI. Cæterum quomodo sub et obreptione committatur, et deprehendatur? quos effectus habeat? et quid juris de ea? copiose habes lib. I, tit. III, §§ 7 et 8, per totum.

39. *Præscriptio et consuetudine.* — II. Acquiri potest præscriptione, seu consuetudine legitime præscripta. Textus, et doctores in c. *Novit. 13, de Judiciis.* et c. *Super quibusdam de Verb. sign.* Siquidem consuetudo legitime præscripta habet vim privilegii, atque inducit jus arg. cit. c. *Novit. de Judiciis*, ubi privilegium et consuetudo æquiparantur: ibi: Nisi forte juri communi per speciale privilegium, vel contrariam consuetudinem aliquid sit detractum. Ubi Glossa sic habet: Nota, quod consuetudo parificatur privilegio, c. *Conquestus*, quæst. 3, et alibi.

40. *Acquisibilia privilegio, sunt acquisibilia consuetudine.* — Sic per consuetudinem legitime præscriptam acquiritur jurisdictio, arg. c. *Duo simul, de Offic. ordinariar. et c. Cum contingat de foro competent.* cum Concordantiis. Item per eam acquiri potest jus exigendi pedagia, seu tributa, c. *Super quibusdam de*